

330  
48  
**HELVIA**

OBSIDIONE LIBERATA  
AVSPICIIS

15.011  
**ALPHONSI VI.**

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
LVSITANORVM REGIS

**D V C E**

Lusitani exercitus

ANTONIO LVDOVICO MENESIO

COMITE CANTANIEDII

Ab arcanis Status & belli consilijs

Regij Fisci Moderatore

Supremoque in Curiã Vlyssiponen[sis]

Oppido Cascasio

ET EXTREMADVRA PROVINCIA

Armorum Præfecto.

SCRIPSIT

ALEXIVS COLLOTES

de Jantillet.



---

VLYSSIPONE.

Apud Antonium Craësbeeckii. An. M. DC. LXII.



# L I C E N C A S

**V**I esta Relação escrita por Aleixo Collotes de Jantillet, & sobre não ter cousa algũa contraria a nossa Santa Fé, & bons costumes, me parece hum breve Epilogo, ou cifra de toda a elegancia latina, tão propria em seu Auctor, que a não manifestar o nome, fora tão conhecido por esta obra, como ha sido por outras. Nella, dentro dos limites da verdade, engrandece de forte aquella gloriosa acção da Nação Portugueza, que a faz duas vezes gloriosa; pello que não só merece o Auctor licença pera a impressãõ, mas tambem o comum agradecimento, a que obriga o amor, & credito da Patria. Em S. Domingos de Lisboa, 12. de Mayo de

1661.

*Fr. Gabriel da Sylva.*

✠ 2

Helviæ

# LICENÇA.

**H**Elviæ ab obsidione liberatæ  
narrationem latino idiomate  
descriptam perlegi, Authore  
Alexio Collotes de Jantillet; nihil in  
eâ contra fidei puritatem, contra syn-  
ceritatem morum, sed quidquid repe-  
ri, elegantia, eloquentia, & venustate  
refertum; & ita opus omnibus titulis  
facultate dignum judico, ut typis  
mandetur. Ulyssipone in Conventu  
Sancti Dominici, die 19. Maij 1661.

*Frater Bartholomæus Ferreira.*

Vistas

**V**istas as informações, pode-se imprimir a Relação da Victoria no sitio d'Elvas, escrita na lingua latina por Aleixo Collotes de Jantillet, & impressa tornará pera se conferir com o original, & se dar licença pera correr, & sem ella não correrá. Lisboa 20. de Mayo 1661.

*Pacheco. Sousa. Rocha.*

*Alvaro Soares de Castro.*

*Magalhães de Menezes.*

✠ 3

Por

# L I C E N C I A S

**P**Or mandado de V. Magestade  
de V. Magestade, & reviu a Relação inclusa,  
Author Aleixo Collotes de Já-  
tillet, que achei escrita com todo o  
acerto, primor, & elegancia, & he mui  
digna de se dar hũa, & mil vezes à es-  
tampa; sem a qual os feitos mayores  
perdem seu justo preço. Os dos Por-  
tuguezes na occasião deste successo,  
que tiverão as invenciveis armas de  
V. Magestade, forão taõ heroicos, que  
fó lhes faltava o esmalte da lingua la-  
tina (que tanta semelhança tem com  
a portugueza) ao que satisfez o Au-  
thor com desempenho de pena muy  
delgada, porque merece specialmẽte  
comuns applausos na mayor perpe-  
tuidade, que adquirir acção taõ glo-  
riosa,

## LICENC,AS.

riosa, sendo lida, & entendida a obra em todas as Naçoens do Mundo. E assi me parece que V. Magestade deve conceder ao supplicante a justificada licença da impressãõ que pretende. V. Magestade mandarà o de que mais se servir. Lisboa 8. de Julho de 1661.

*Ioão Leyte de Aguiilar.*

**P** O dese imprimir, vistas as licenças do Ordinario, & S. Officio, & impresso tornará à Mesa pera se taxar, & sem isso não correrá. Lisboa 8. de Julho de 661.

*Moura Telles P.*

*Monteiro.*

*Velho,*

*Gama.*

*Sylva.*

*Carvalho.*

*Sousa.*

LICENÇA

rios, sendo lida, & entendida a obra  
 em todas as Nações do Mundo. E  
 assim parece que V. Magestade deve  
 conceder ao suplicante a licença  
 de imprimir o impetido que pretende  
 V. Magestade mandar o de que mais  
 se servir. Lisboa 8 de Julho de 1601.  
 João Lopez de Aguilera.

**P**
 Obede imprimir, viltas as licen-  
 ças do Ordinario, & S. Officio,  
 & impetido tornara a Mesa para  
 se taxar. E temillo não contra. Li-  
 sboa 8 de Julho de 1601.

Miguel de S. P.  
 Vitor  
 Capitulo

FOR

24

FORTISSIMO IMPERATORI  
ANTONIO LUDOVICO MENESIO  
COMITI CANTANIEDII

Ob liberatam a trimestri obsidione urbē Helvianā

Expugnato intra munimenta

Fusoque ac fugato hostium exercitu

Multis eorum Ducibus aut cæsis aut captis

Omni instrumento militari in potestatem redactō

GRATA PATRIA

Servatori, civicam coronam

Inviecto bellatori obsidionalem

DEDIT

Trophæumque de manubijs erexit

HERCVLI LVSITANO.

**Q** Valis, ubi falsis flavum caput exerit undis,

Sol fugat auratâ nubila densa face.

Aut qualis valido quatiens obstantia motu

Non patitur lentas flamma trifulca moras.

Sic, ubi per medios fertur Menesius hostes,

Obvia fulmineâ sternit ubique manu.

Non

Non illum fœtæ tormentis grandibus arcês,  
Non stabilis pressâ detinet agger humo.  
Hostica perrupto transit munimina vallo,  
Cinctaque perpetuâ bellica septa trabe.  
Sulphuræ circum tolluntur ad æthera nubes,  
Et densis crepitat plumbea grando pilis.  
Cumq̄ viris volvuntur equi: mors undique, strages  
Undique; jam tellus sanguinæ tota rubet.  
Tantæ percussus stupet hostis mole procellæ,  
Funditur, & turpi deserit arma fugâ.  
Impavidus flammæ inter pugnæque tumultus,  
Armatus rutilo fulminat ense Comes.  
Talis ad Iliaci ripam Simeöntis Achilles  
Præcipiti fusos Troas agebat equo.  
Lusiæ Martem credas incedere campis,  
Sævaque sanguinæ bella ciere manu.  
Sic ferro quacumque viam patefecit, opimas  
Exuvias cæsis hostibus ille refert.  
Arma, viri, tormenta, pilæ, tentoria, currus,  
Signaque, sunt tanto parta trophæa Duce.  
Victor io! meritam dextræ Comes insere palmam,  
Cinge triumphales fronde virente comas.  
Tu conjuratas, quas misit Iberia, gentes  
Proteris, atque jugo colla superba premis.  
Bella tibi laurum, Patriæ tua laurus olivam  
Parturit, hæc nostros servat & illa lares.  
Roma sile! cessaque tuo de Cæsare tandem  
Laudibus immodicis Itala Musa loqui.

335  
En nobis Heroa parem Tagus edidit: uno  
hic VENIT, VIDIT, VICIT, ut ille, die.

Victoris  
Quadrigæ triumphali appendit

Alexius Collotes de Iantillet.

En nobis i hoc parum Tagus edidit: mo  
hic VENIT, VIDIT, VICIT in illis die

Victoria

Quadragesima triumphanti appendit


Alexius Collores de Iamiller

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO,  
 DOMINO  
 RODERICO MAURÆ  
 TELLESIO

Ab arcanis Status & belli consilijs

Palatini Senatus Præsidi

Summoque apud Reginam Stabuli Præfecto,



GERE vide-  
 bor fortasse cō-  
 fidentiùs, qui, o-  
 pus sermone ex  
 iguum offeram  
 tibi, tantæ dignitatis viro: uti-  
 que, si dicendi modum æsti-  
 maturus es, fatebor simplici-  
 ter tenuitatem muneris mei;  
 si cau-

si causam scribendi & materiam; propè sum ut mihi persuadeam, te haud illibenter accepturum. Eget quoque libellus hic noster splendore claritudinis tuæ, nebulam discussuræ obtrectantium, qui, quum sua ipsi persæpe nesciant, otio carpenti aliena, industriæ nomen judicijque imponunt. Accedit quod, uti me in Musæum tuum singulari comitate nōnunquam admittis, inter colloquendum deprehēderim,  
non

non ingrātū fore, si quo Lu-  
 fitani modo in Helviæ obfi-  
 dione hostes ceciderant, ita  
 narrationem victoriæ triū-  
 phalis latinitate donavissem.  
 Tentavi, & in noministui  
 omine fortunato, ad opus  
 admovi manum, paucosque  
 intra dies confeci: si non in-  
 foeliciter, habebo quod gra-  
 tuler forti meæ; sin contrā,  
 nec sic tamen scribentis hu-  
 militas officiet magnitudini  
 rei, quæ gloriâ Lusitaniam,  
 amâ impleverit totum orbē  
 terra-

terrarum. Utcumque erit,  
næ mihi videbor fecisse om-  
nibus fatis; si tibi, cujus judi-  
cium ac eruditionē cū sus-  
picio, tū indolem præsci can-  
doris mixtæque animi vigori  
lenitatem morū & amo &  
veneror. Vale, utque mos  
est tibi, liberaliter fave. Ulyf-  
sipone, Idib. Apr. ann. a nato  
servatore Christo. M. CD.  
LXI.

*Devotus Client*

Alexius Collotes  
de Jantillet



stupuerat) mors præpropera, noviq̄  
Regis Alphonsi Sexti sub tutelâ posi-  
ti tenera ætas, spem Castellanis fecê-  
re multa armis haud difficulter con-  
sequendi.

Igitur incunte vere, anni supra mil-  
lesimum sexcentefimum quinquage-  
simi septimi, Franciscus Tuttavilla  
Dux Sangermani, cum peditum duo-  
denis, equitum millibus quatuor, mo-  
tis e Pace-augustâ castris, obsidione  
cinxit Oliventiam: & quanquam Re-  
gina Lusitaniam pro filio regens, se-  
dulitatis vividæ haud minùs, quàm  
excelsi animi Princeps, habito con-  
festim delectu, exercitum miserat,  
cùm numero, tum splendore militum  
insignem, qui obsessos liberaret; ta-  
men fato magis, ac fortunæ indulgen-  
tiâ,

3  
 tiâ, quàm virtute aut operâ militari,  
 & Oliventia in hostium ditionē cessit,  
 & paucos deinde post dies oppidum  
 Mauranum, non sine validâ, & perti-  
 naci oppidanorum defensione, in eo-  
 rum devenit potestatem.

Tam prospero armorum eventu,  
 Castellanorum se copiæ recepere  
 triumphantibus similes. Verùm inter-  
 jectis diebus non multis, hujus læti-  
 tiam victoriæ fors immutata turbavit:  
 adulto quippe anni ejusdem Autum-  
 no, Lusitanorum paucæ legiones, du-  
 ctore Joanne Mendefio Vasconcello,  
 Regio Transtagani exercitus Legato,  
 Mauranum, eo tamen discrimine, re-  
 ciperare; ut, quod nudatum muni-  
 mentis oppidum multitudo popula-  
 rium rudis, & ignara militiæ constan-

ter per undecim dies defenderat; tunc additis operibus, & militis veterani firmatum præsidio, tridui oppugnatione, e manibus hostium extorserint.

Recepto Maurano, deerat ad complementum Oliventia: & quanquam aut Albucherchij aut Valentiaë expugnatio, æquâ compensatione, factura satis jacturæ videbatur, haud sustinuit Lusitanorum egregia, & sublimis indoles, acceptam ab hostibus injuriam pari ultione rependi: insitâ namque magnitudine animi spirantes altiùs, sequenti anno, pridie Id. Jun. eductas in campum legiones Paci-augustæ admovêre, quâ in urbe sedem armorum Castellani, aulamque militarem posuerant.

Postu-

Postulabat tum hic locus, tum nominis dignatio Lusitani, diffusam a me fieri operum mentionem, quæ famâ utique immortalî digna, toto Pacensis obsidij tempore, oppugnantium virtus edidit; seu militis in Arce Divi Christophori invadendâ spectamus ferociam; sive pugnam, pridie quàm Sancti Michæelis Castellum victoris arbitrio dederetur, alternâ cōtentione sustentatam pervicaciter, ac reportatam inde ab Lusitanis celebrem victoriam libeat describere: tamen quum tot tamque illustres armorum successus publica fides narrandos commiserit scriptori, hos prope diem vulgaturus, sitque officij mei, ea solùm, quæ Helviam tangunt, memoriæ tradere; operæpretium est, nec ul-

tra præscriptos mihi terminos progredi, nec in messem alienæ & laudis, & gloriæ, ambitione odiosâ manum ingerere.

Nuntium obsessæ Pacis augustæ, Regem Castellanum atrociter pupugit, perstrictum reputantem Majestatis fastigium eâ opinione, quam totus orbis, clausam armis hostilibus principem belli sui sedem divulgante famâ, conciperet; nihil quippe Europa tale hucusque viderat, nihil simile audiverat: adeoque vehementer insperati nuntij certitudo Castellanos perculit, ut Aloysius Mendefius Haro apud Regem graciosus, obsessis supplicibus ferendi provinciam in se recipere haud dubitaverit; tantus nimirum stupor metusque totam regni molem per-

pervaserat, ut, gratiâ per mutuâ Principis ac primæ admissiõnis Ministri absentiam dilabente in discrimen, iste sustinuerit omnium primus a latere Regis sui discedere.

Confestim igitur convocati toto regno Castellæ nobiles, admoniti & quicumque in aulâ spe beneficij versabantur : missis quoque diligenter Conquisitoribus, conscriptos undequaque milites tripartitò accepere Emerita, Albucherchium, & Oliven-tia.

Jam tum pertinaci quatuor mensium obsidione ad ultimum Spiritum redactis Pacensibus, opitulata vis major, tam atroci morbo Lusitanos afflixit, ut, præter ductores exercitus primarios, quos in extremo positos

vitæ discrimine, vis mali Helviam cõ-  
pulerat, sexcentis inferiorum ordi-  
num eâdem lue percussis, manipula-  
rium numerus ad millia duodecim  
perveniret, quos latè pernicies diffu-  
sa inutiles bello reddiderat.

Solvisset profectò obsidionem tre-  
pidanter ac fugienti similis, tot tantisq̃  
viris, quasi spiritu militari, destitutus  
quilibet exercitus; nimirum eâ non  
constans natione, cujus fortitudo fa-  
cilia redegerat ex difficillimis, & fi-  
dem propemodum omnem excedens  
constantia, in campis Anæ flumini ad-  
jacentibus, Caniculæ æstuantis trucu-  
lentiæ haud cesserat. Sed enim glif-  
cente in dies calamitate, etsi omnes  
ægre patiebantur, stantibus in limine  
gloriæ sibi palmam e manibus eripi;

consensere in receptum Duces, suadente prudentiâ ut exercitus reliquijs consuleretur. Itaque 4. Id. Octobr. reducti milites, servatis bellicum in morem ordinibus, adeoque magnificè, ut vel ipsos rei militaris peritissimos censores non inficiaturos existimem, posse Lusitanos tam splendido receptu haud minùs, quàm partâ semel potuissent victoriâ, gloriari.

Non alia in agro Pacensi restitère obsidionis vestigia, præter circumvallationem, & jacentia Lusitanico ferro interemptorum cadavera: omnem quippe seu bellicam, seu privatam supellectilem revexit quietâ obsidè-tium fiducia, observatione adeo religiosâ, ut scaphæ fluviatili, quæ inter gradiendum effracta in itinere sub-stiterat,

stiterat, ignem subjecerint; ne, quod erat extra potestatem, trepidationis argumentum videretur. Hac pace & imperturbatâ quiete revertentes Lusitanos nec ausus est sub sarcinis aggredi hostium exercitus, nec injectis quoquomodo impedimentis iter placidum interpellare.

Verùm, postquam se omnis recepisset exercitus, dimissis ad quietem e continuo largæ ac tædiosæ obsidionis labore capiendam, & auxiliariis & urbanæ militiæ copiis, legiones quoque & equitum turmas haud paucas, circumjecta oppida Campus-Major, Stremotium, Villa-Vizosa, Montifortium, Borba, Aruncanum in præsidium accepissent; Tunc partitione multiplici, Lusitanorum robore im-

minuto,

minuto, conspectus hostium exerci-  
tus Id. Octobr. transiit Cayâ fluvio-  
lo, agrum Lusitanum infedit.

Exercitum componebāt peditum  
millia quatuordecim, equitum quinque:  
Imperij summa respiciebat ad Aloy-  
sium Mendesium Haronem, Comi-  
tem Ducem Olivarij, Marchionem  
Carpianum, Præfectum regij stabuli,  
supremum Indiæ Occidentalis Can-  
cellarium & apud Regem gratiâ vali-  
dum; Erat armorum regimen penes  
Franciscum Tuttavillam Ducem Sã-  
germani; Præfectus Castrorum Ro-  
dericus Mocîca; equitum Magister  
Petrus Gironus Dux Ossunæ; rei tor-  
mentariæ præpositi duo, Gaspar Cue-  
va Ducis Albucherchiani frater id  
muneris exercebat; Venturæ Tarra-  
gonæ

gonæ ad titulum honorarium accesserat operum militarium principem Architectum appellari ; equitatum regebat sub Magistro Joannes Paciecus.

Delecti in Tribunos, turmarumq̄ & cohortium ductores, quos modò vel prosapia illustris, vel spectata multos per annos in bello virtus commendaverat: militabant itaque in legionibus equitumque turmis magnates permulti ac titulis insigniti; liberos quoque, fratres & consanguineos principum toto regno virorum ambitio vel patriæ salus ad bellum accenderat: his in complementum roboris, tanquam exercitus nervi, accesserant quatuor millia veteranorum militum, qui alio supra gregarios perfuncti

functi munere, redactique in ordinē,  
pugnare inter pedites hastatos ut plu-  
rimūm cōsuecūt. Quod omnino unū  
abūde esse videbatur, subigēdo armis  
vel ditionis haud modicæ imperio:

Hisce instructus copijs, militum  
numero delectuq̄ præstantibus Aloy-  
sius Haro, fontem usque processit, qui  
futorum nuncupatus Helviam inter  
& Stremotium fluit. Quumque habi-  
tus rerum Prouinciæque improspera  
conditio, facultatem magna perten-  
tandi concederet, expeditionibus  
modicis tempus omne contriuit; ex-  
pugnatis Sanctâ Eulaliâ vico, oppi-  
disque Barbacenâ ac Villaboimo,  
parvis adeo & invalidis, ut turpem  
utique Regi suo notam inusserit tam  
florentis moderator exercitus, qui  
tot

tot inter oppida, numero civium pol-  
 lentia & sibi vicina positus, cum libe-  
 ro quodlibet invadendi arbitrio, totâ  
 mole armorum incubuerit, in ea dum-  
 taxat oppidula, quæ tenuis incolarum  
 numerus tutari non poterat.

Sub id tempus, conflictata calamita-  
 te atrocissimâ, nullam proffus simi-  
 litudinem sui Helvia retinebat; non il-  
 la civium, non militum sedes, valetu-  
 dinarij speciem induerat; languenti-  
 bus morbo supremis copiarum Duci-  
 bus, & in ultimum vitæ periculum  
 deductis: si demas Joannem Mende-  
 sium Vasconcellum, summumque in  
 provinciâ Berianâ Rectorem armorû  
 Sancium Emmanuelem, qui oppido  
 Penamacorio, sede Præfecturæ, reli-  
 cto, ut Pacēse obsidium præsentia suâ  
 acrius

acrius urgeret, locumque ac munia  
impleret Generalis Tribuni, eodem,  
quo se exercitus recipiebat, die Hel-  
viam pervenerat. Præfectum castro-  
rum Rodericum Castrum Comitem  
Mesquitellæ morbi vis in oppidum  
Montem-majorem pepulerat, vitâ  
propemodum deploratâ: pleræque  
legionum Tribunis, Tribuni legioni-  
bus destituti; turmæ centuriæque du-  
ctoribus, ductores centurijs turmisq̃  
viduati; paucos, quibus perniciofa  
lues ignoverat, longæ obsidionis la-  
bor ac vigiliæ ad languorem ægrotan-  
tium infregerant: urbs indiga & vacua  
cibarijs, viciniâ oppugnata civitatis,  
omnem prope in alendo per tot  
menses exercitu annonam exhau-  
ferat.

Tot

Tot malis oppressâ eivitate, major  
 supererat calamitatis species, cunctis  
 sollicitè æstimantibus, omnia Helviæ  
 muris circumscribi; aggregatis ibi  
 ducibus universis, præcipuum milita-  
 re imperium obtinentibus: aderant  
 Joannes Mendesijs Vasconcellus;  
 Andreas Albuherchius generali Tri-  
 bunatu fungens equitatusque Magis-  
 terio; Sancius Emmanuel Præfectus  
 castrorum; Alphonsus Furtadus Men-  
 donsa tormentorum Magister; Petrus  
 Jaquesius Magellanes, qui olim classi  
 Brasilianæ præfuerat, & ipse rei tor-  
 mentariæ Præpositus; Comes Praten-  
 sis Franciscus Sofa, militaris Concilij  
 Senator, quem penes, quandiu obse-  
 sam Lusitani Pacem-augustam tenuê-  
 re, & Helviæ & provinciæ regimen  
 fuit;

fuit; Ferdinandus Silveria, a consilijs belli, Legatusque olim Præfæti regis Classis; Ludovicus Almeida Gubernator quondam Rivojanuarij, cõditæ in orâ maris Americani splendidæ Lusitanorum Colonix, urbisque moderator designatus, si quo incidente fato Pratensem morbus invaderet.

Tribunos quoque legionum cõplures, & quina circiter senave pedum millia civitas acceperat. Didacus Gomeſius Figueredo Classiarix præerat legioni; Joannes Leiteus Oliveira, Augustinus Andrada, Simon Correa Sylvius, Ludovicus Alvaresius Tavora Sancti-Joannis Comes, & Didacus Mendonſa Furtadus stipendiarijs militibus;

ria, Antonius Sada Menesius, & Emmanuel Sofa Castrius auxiliarijs præpositi; Franciscum Paciecum, & Joannem Mascareniam Comitem a Turre valetudo improspera Helviæ attinuerat; in locorum vicinorum præsidia amborum legionibus distributis: præter eximios toto regno operum bellicorum Machinatores, Petrum Sancticolumbanum & Nicolaum Lāgrefium, cui, super hoc militaris Architecti munus, Castræsis Præfecturæ Vicariatus accesserat.

Restiterant in urbe pariter equitum legati, Achimus Temericurtius, Emmanuel Freirius Andrada & Ægidius Vas Lupus, cum mille, & quingentis equitibus: qui tamen, intra primum positæ ab hostibus obsidionis

men-

mensum, Helviâ excessere omnes, varijs eruptionibus ac fortunatis: remanente, cum ducenis equitibus in usus obsidionales, Joanne a Sylvâ Commissario equestris militiæ ductore.

Ibi similiter & res omnis cibaria remanserat, quamcumque in tantâ obsidij Pacensis morâ, alendo militi & provinciales suppeditaverant, & se recipiendo exercitus advexerat: ibi instrumentum omne tormentorum, & cætera militaris supellex; cuncta denique, quæ, etsi modica rationarium indicavit, exhausta pæne in hâc unam sedem armorum provincia congesterat.

Hæc concordî omnium voce accepta, animum dedere hostibus Helviam obsidendi, opinione inductis,

neque urbi ad perferendam obsidionem, neque Regno ad opem ferendam, satis esse virium: eductis in campum, collectisque e gente unicè unicâ, spatio mensium minùs duodeviginti, tribus exercitibus, militum numero ac robore præstantibus, quorù novissimus morbi, fatalis inclementiâ perierat: futurum quippe perquam difficile & arduum, ut, qui missione concessâ in patrios lares revertissent, fracti laboribus ac pertinacis obsidij Pacensis tædio confecti in ordines reducerentur; imminuto per impensas ærario, distractâque in bellicos trium exercituum apparatus regali pecuniâ.

Helvia urbium Translaganæ provincie secunda dignitate, omnium  
prima

prima Lusitaniam a Castellâ dirimit,  
 Paci-augustæ propior, interjecto ta-  
 men utramque inter novem mill. pass.  
 intervallo : Lusitaniæ armorum &  
 Episcopi sede illustris , civium tria  
 millia complectitur . Vicanos habet  
 opulentos ferme omnes; regionis tra-  
 ctus olearum vitiumque ferax latè  
 protenditur, grato intuentibus aspe-  
 ctu : frequentiam hortorum fructuosâ  
 haud minùs, quàm amoenâ viriditate  
 florentium, multa ubertim suppedi-  
 tante incolentium utilitati ac deli-  
 tiji.

Ipsam in tumuli clementer assur-  
 gentis partim clivo , partim fastigio  
 sitam urbem, arce, quæ profundæ val-  
 li imminet , summum verticem insi-  
 dente, quini circumdant colles; quo-

rum, e quatuor qui propiùs admoventur, primus, cui Casaronij vocabulum posita in eo domus indidit, opere coronato vallatus urbi adnectitur; alterum a Divâ Luciâ nuncupatum, quaterna mutui aspectus propugnacula tuentur, & præstructæ aliquotmunitiones; tertio Divus Franciscus nomen imposuit, quem munimentis vacuum insedere hostes, primo adventus sui die; quartum Sancto Petro cognominem, coeptâ demum obsidione, quia sic exigebat necessitas, præsidiariorum communivit militaris industria; quintum & extimum Dei paræ Virginis a gratiâ appellatum, quanquam cæteris ipsâque urbis arce sublimiùs affurgit, sepimentis militaribus haud placuit occupari, arcente pericu-

periculum longiore a moenibus distantia. Hos inter colles fluunt rivuli duo, alter Cincius, Sæta alter ab indigenis nominati, quos modico inde spatio cōmixtos sibi Caya in fluvium Anam devolvit.

Clausa muris Helvia antiquitus fuit, quos tunc propulsando hosti necessitas temporum bellique conditio postularent: nunc integris ac dimidijs, sed mutuâ sese ope tutantibus propugnaculis, interjectique muri loricis vallatam fossa ambit, incisâ altiùs rupe, ampla ac depressior, quam dispositæ per intervalla parmulæ, ac semilunaria munimenta, opertæque toto continenter margine viæ inaccessiblei reddunt: omnibus, quantum situs patitur iniquitas, ad usitatæ munien-

dis in urbibus hoc ævo scientiæ nor-  
 mam legesque adprime compositis.  
 Artem juvat ingenium loci, quem eo  
 natura digessit modo, ut e positu il-  
 lius inæquabili multiplex oriatur au-  
 ctæque gradatim defensio : quippe  
 nullam toto circuitu partem invenias,  
 cui non plerique immineant tormen-  
 torum suggestus, vel a propugnacu-  
 lis, aliove procurrente foras muni-  
 mento non stringatur, ipsique obno-  
 xia non pareat. His accedit indoles  
 soli ac conditio, scopulosâ duritie  
 fossorum ictus interpellantis; saxo  
 enim pæne continenti fundata urbs,  
 levi desuper incumbente humo, dif-  
 ficulter admittit obsidentium acces-  
 sus. Certè quisquis operum bellico-  
 rum intelligens, cuncta perlustrave-  
 rit,

rit, haud ægre is fatebitur, inter mun-  
nitissimas pompâque militari totâ  
Europâ superbas civitates, Helviam  
jure sibi, dignationis non modicæ ti-  
tulum vendicare.

Undecimo Kal. Novembres, vix-  
dum aperiente se die, hostes in Divi  
Francisci cœnobium invasêre, posi-  
tam, ad pilæ sclopetaris ictum, ordinis  
religiosi sedem familiæ Franciscanæ,  
quam a pietate nuncupamus. In hoc  
velut solitudinis pacatæ diversorium  
receperat sese, valetudine morbo in-  
fractâ, mortique proximus jacebat  
Joannes Rodericius Sada, Comes Pe-  
naguianus, ab arcanis status & belli  
consilijs, sacri Lusitanorum Regum  
cubiculi Præpositus, quique haud  
multis antè annis, extra ordinem le-  
gatione

gatione ad Britannos functus erat.

Modestiâ præpediente manum  
vulgare prohibeor, quæcumque & in  
sacros religiosæ domus parietes, & in  
iplos incolas sacrorum ministros  
petulanter hostis admiserit, exutâ  
propemodum reverentiâ. Detur cæ-  
co irrumpentium militum ardori no-  
ctisque tenebris, quicquid per inob-  
servantiam irreligiosè adversus ea  
peccatum est, quæ pietas & veneratio  
commendant rectè colentibus fidem.  
Illud tamen silentio transmitti justa nõ  
patitur scribentis indignatio, quod  
agenti in extremis Penaguiano, inge-  
nita mortalibus commiseratio haud  
pepercerit, cadavere veriùs quàm ip-  
somet in captivitatem abducto: ete-  
nim paucis ille post amissam liberta-  
tem

tem interlabentibus horis extinctus est ; dignus utique memoriâ celebri, quod ipso genere mortis, obsequia quasi decore novo cumulaverit, quæ multa, dum viveret, Regi suo fide summâ præstiterat.

Ad nuntium rei, quam dubius adhuc sermo vulgaverat, missi a Vasconcello, cum expeditis aliquot manipulis, Classiariorum ductor Gomesius, neque post multò Tribunus Correa, qui diditi per urbem rumoris causam explorarent, continenti prælio totum diem transegere; pugnantumque ab eis sæpe foeliciter, semel atque iterum impressione adeo validâ, ut hostem loco pepulerint, haud incruento utrinque certamine; sed diremptâ, noctis interventu, contentione

tione pertinacissimâ, hostis in eodem occupati soli vestigio restitit.

Nono kal. Novemb. admissus in Regiam Ulyssiponensem cursor, hostium mentem obsidijque nuntium aperuit: & quanquam, statu rerum per eos dies invalido, haud parum spes minui videbatur, erexit tamen animos omnium non tam justæ defensionis æstimatio, quàm rara in paucis Reginae regentis tum prudentia, tum sollicitudo curaque propemodum incredibilis, quâ commissis sibi Regnis tutelæque populorum studiosè invigilat: quæ protinus occurrèdum esse perniciosis hostium consilijs rata, ac præsentissimùm quærens ingruenti malo parque remedium, quum temporis necessitas virum postularet spe-

Etatae

statæ fidei ac virtutis; Antonium Ludovicum Menesium Comitem Cantaniedij accersivit; cui, expositâ cùm rei magnitudine, tum discriminis, quod Helviâ periclitante toti provinciæ immineret, suscipiendæ expeditionis munus urbisque liberandæ cōmisit.

Quo loquendi modo, quibus Regina argumentis Comitem ad oneris tanti molem capeffendam perpulerit, ut transacta intra sacrarium Majestatis Comitisque modestiam, nunquam bene ad communem notitiam pervenire. Tamen simile veri est, bene animato & in officijs erga patriam ardenti viro ea suffecisse, quæ ad regni decus ac popularium salutem pertinerent: eoque libentiùs acceptam ab illo  
 expe-

expeditionē tam gravis momēti opinor, quod ardua multoque involuta discrimine, exitum polliceretur difficilem sui: ingenito nempe animis fortibus amore periculorum. Enimvero, si quā conjecturā uti conceditur, iisdem conlocutam verbis Reginam facile crediderim, quæ in chartâ, jussu illius ad Comitem exaratâ, continentur; cujus epistolæ exemplum, publicæ curiositati & hoc mihi munus debituræ, propeno.

**C**omes amice. Rex ego salvere te multum jubeo, ut quem haud mediocriter amem. Tanti interest mitti prope-ranter virum, qui suscepto provincia Trans-taganæ regimine, quandiu hostis in obsidione Helvia perseverat, præsentia sua erigat provinciales

vinciales ac soletur, animique plenus ac sincere in patriam voluntatis, eâ demum polleat auctoritate, conscribendis sedulo militibus, qui, si necessitas urgebit, supplicias ferant obsessæ urbi; ut, quanquam dignatio tui postulabat, nunquam te ab latere meo amoveri, occasione perpulsus commendatum velim tibi, adornatâ illico profectioe illuc te conferas, meque eâ curâ liberares, quâ me provincia memoratæ sollicitum res tenent; obsequium mihi ac toti Regno tantæ utilitatis præstiturus officium, quale illud procul dubio futurum est. Et verò pro tuo erga me tuosque populares cognito jampridem amore, tibi præsertim salutis publicæ, tutelæque regni cupientissimo, paucis opus est verbis, ut facile credas, maximæ occasione adesse te oportere. His itaque perlectis spero fore, ut remotâ omni morâ, quamprimum te via committas. Sciant quoque & hac epistolâ, præscrip-

præscriptum sibi, tam qui bellicum, quàm qui  
 civile munus exercent, aut fiscum procurant,  
 ut dicto audientes sint tibi, imperijque tui leges  
 in omnibus, quæ ad hujusce expeditionis fœli-  
 cem exitum quocumque modo pertinebunt,  
 religiosè observent. Quocirca futurum confi-  
 do, ut hoc in munere te habeas, perinde ac ipse  
 & dignitati tuæ, & meæ erga te benivolentiæ  
 debes: quæ duo grandis nimirum momenti  
 incitamenta sunt viro simili tui. Ulyssipone  
 postrid. kal. Novemb. an: a part: Virgin: supra  
 millesimum, sexcentesimo & quinquagesimo  
 octavo

Principum mandatis, præsertim si  
 qua illis populi utilitatem conditio  
 innexuit, optimè is respondet, qui  
 moram exequendi occupat obsequij  
 celeritate. Equidem Comes solam  
 principalis imperij & publicæ neces-  
 sitatis

sitatis memoriam induit: nam cuncta-  
 tus ultra nihil, ne habitâ quidem ra-  
 tione temporis, quod tantæ expedi-  
 tionis apparatus seponi sibi haud im-  
 meritò poscebat; duodecimo kalend.  
 Decemb. Ulyssipone excessit, ac  
 quarto post die, Stremotij tantâ pro-  
 vincialium alacritate, plausuque ex-  
 ceptus est, ut omine foelici videretur  
 proludere omnes victoriæ, quâ red-  
 dendam sibi, tanti Ducis auspicijs, &  
 quietem, & publicam securitatem  
 haud incassum credidère.

Etsi, priùs aliquantò quàm Stre-  
 motium ingrederetur Comes, eruptio  
 contigerit, quâ Præfectus castris Al-  
 bucherchius & Mendonsa tormen-  
 torum Magister obsesâ se urbe eri-  
 puère; tamen, quia sic poscere ordo

C

scrip

scriptionis videbatur, haud alienum  
 duxi, rem antè patratam seriùs memo-  
 rare. Igitur, quoniam ambo jubeban-  
 tur citra moram Helviâ excedere, si  
 quâ fortè novus exercitus inopiâ Du-  
 cum ordinis primarij laboraret, con-  
 silium cepêre, per medias stationes  
 hostiumque castra iter aperiendi sibi;  
 relicto in regimen urbis ac tutelam  
 Sancio Emmanuele: nam Vasconcel-  
 lus in recenti Pacis-augustæ obsidio-  
 ne, Lusitani ductor exercitus, per pau-  
 cis, posteaquam se Helviam recepif-  
 set, interpositis diebus, imperio su-  
 persederat. Itaque postrid. Id. No-  
 vemb. urbe egressi, cum equitibus om-  
 nino centum, quos inter & alij ordi-  
 num duces, ac plerique e supremi  
 militiæ Inspectoris officinâ Amanuē-  
 ses

ses eruperant, ferro sibi patefecerunt  
viam impigre adeo ac fortiter, ut eo-  
dem, quo Helviâ excefferant, die Stre-  
motium pervenerint; perculsis stu-  
pore hostibus & in admirationem  
tantæ audaciæ magis conversis, quàm  
ut se prætereuntibus objicerent.

Sed inerat gravis utique difficul-  
tas eâ tempestate exercitus contra-  
hendi; nam præter apparatus om-  
nem tormentorum, & cætera, quæ  
Helviæ restiterant; bellicæ munitio-  
nis impedimenta, sparsi quoque per  
oppida Provinciæ milites stipendia-  
rij, vix duo peditum millia, equites  
mille & octingentos expleverant: in-  
teremptis morborum truculentiâ mul-  
tis armatorum millibus, plerisque ad-  
versâ valetudine præpeditis, omni-

bus quadrimestris obsidij lassitudine contritis : & Lusitani quidem solis utuntur indigenis, non mercede conductis militibus. Sed quanquam in has angustias deducta res erat, omnia labore incredibili eluctatus Comes pervicit, eaque paucos intra dies confecit, quæ fidem prope omnem, opinionem certè omnium excederent: ostenditque rarò non patere aditum per difficillima quæque publicam salutem quærenti viro, quotiens virtus industriaque & patriæ amor conspiciant.

Interim sena hostis Castra posuerat, validis septa munimentis, ductoque in urbis ambitum vallo, Castella & receptus certa per intervalla dispositos construxerat. Prima cognomento

Barga-

Bargadana veniētibus e Campo-Ma-  
jore occurrebant, ubi pars equitum  
numero validior agebat, regimine eo-  
rum tutelâque Tarragonæ attributis.  
Regia quæ & Aulica vocabantur, in-  
ter fontem a fabris ferrarijs appella-  
tum, vallemque Revellesiam posita, e  
regione speculatoriæ turris Terrinia-  
næ, regebat Sangermanius, cum pug-  
nacissimis legionibus & eximiæ toto  
exercitu virtutis. Tertia, quibus vallis  
Marmellana nomen indiderat, specu-  
lam versùs cognomine Sosnanam,  
Cueva cum selectâ peditum manu tu-  
tanda susceperat. Et quia verebantur  
hostes, ne quid damni Villæ-Vizosæ  
vicinitas gigneret, posteaquam per  
captivos interpretes resciverant, infe-  
rendi in urbem auxiliij viam eâ parte

a Lusitanis destinari, bina, quæ modò memoravi, castra intentiore curâ additoque in dies aggere novo firmaverant. Quartis a Cocênâ nuncupatis, & a viâ, quæ Villaboimum ducit, ad usq̃ fontem regalis Mensæ porrectis, Dux Ossunæ præerat, cum splendidis equitum turmis, quæ etsi Bargadanis haud superiores erant, delectu ac robore potiores habebantur. Quinta tumulto Franciscano, Sexta demum ac postrema Gratiano imposita parvum militum numerus tuebatur; hæc Tribunum Joannem Zunigam Marchionie Avilafontano parente genitum in Præfectum acceperant, illa Martinum Sanciesium Pardum legionis ductorem.

Ea tum regni facies erat, is Castellano-  
lanorum

lanorum in Helviâ obsidendâ habitus, credentium haud dubiè posse, temporis beneficio deditiorem extorqueri. Non illi obsidionales ad fossam vias, non aggressionem moliri; machinis tamen muralibus quaterere urbem continenter, ollisque incendiarijs majoribus conterere. Quâ passim incidente peste, omnis utique intuta erat mansio. Hæc quanquam per se dura, obsessis leviora videbantur, comparantibus atrocitatem exitialis mali, quo fœda cœli intemperies urbem totam corruperat; quippe contagio latius grassata numerum defensorum tantâ celeritate imminuit, ut diebus octoginta, quos omnino tenuit obsidium, septena militum civiumque millia feræ lues extingueret.

Invaluerat periculum inopiâ remedij, morbosque jacentium augebat ipsa penuriæ morosa cogitatio: defecerant in tabernis aromatarijs pharmaca, quæ medicæ artis scientiâ malis ingruentibus opponit; ægros medentium cura, medicos valetudo destituerat, omnes pariter involvete morbo; nulla supererant alimenta cibive notæ delicatioris ægrotantibus ad fastidij solatium: futuro utique majori damno, ni provida Comitum industria obsessis subvenisset, missis furtim subsidijs, quæ Campi-Majoris favente viciniâ in urbem continenter inferabat.

Interea urgebat Imperator delectum novi exercitus tanto ardore, ut nec tempus ad quietem sibi concederet,

ret, pari ad laborem corporis animi quæ contentione. Angebat virum, præter Helviæ miseram conditionem, gravis quoque ex hostibus concepta sollicitudo, quos resciret novum in dies militem opperiri. Quumque & obsidentium vires & calamitates obsessorum penitus cognosceret, ita dissimulâter, quo animum suis spemque adderet, utrumque obtexit, ut vultu ad hilaritatem composito, famam constantem sparserit, ad victoriam milites, non ad opem ferendam comparari: neque enim subsistere hostem posse diutius, nec obsessæ timendum civitati dissebat. Usque adeo verum est a fortitudinis eximiæ viris, ubi periculo fuerint præcipiores, fortunæ inclementiam in triumphum materiam converti.

Exemplo

Exemplo quoque insigni & hæc obsidio confirmavit, quantum sibi virium, jus armorum & æquitas vendicaret; toto enim tempore, quo Helvia armis hostilibus septa est, transfugas Castellanos, tribus millibus haud pauciores, oppida circumvicina accipere, qui, armis & equis æstimatione justâ divenditis, datoque liberaliter comineatu reverterunt domum. Non tamẽ e gente Lusitanã quisquam fuit, obsessæ vel urbis, vel sui desertor exercitus, qui ad hostium castra perfugeret; quanquam sparsis toto campo libellis Haro, promissis ingentibus speque multâ magnificis sollicitaret Lusitanorum fidem.

Haud incassum fuit Imperatori labor, habuitque industriæ pretium  
 exitu

exitu fortunato; vergēte enim ad finē  
 Decembri, novus stetit in armis exer-  
 citus, qui militum numero etsi hostili  
 nequaquam par, inferendi tamen in  
 urbem subsidij fiduciam intenderet.  
 Etenim hos intra dies, qui præteriēre  
 non a deo multi, instrumenta tormen-  
 torum, cæterosque campestres appa-  
 ratus Imperator in ordinem compo-  
 suit, collecta res cibaria, juncti currus  
 impedimenta que, conscripti milites  
 stipendiarij, auxiliarium manus totâ  
 provinciâ convocatæ: tantâ omnia  
 festinatione, ut intuentibus exercitū  
 difficulter probaretur oculorum fi-  
 des. Nimirum vir acer ac diligens, ad  
 animi similitudinem momento ope-  
 rantis, aspernatur temporis languidè  
 inertes moras.

Furnos

Furnos quoque imperatum per eos dies torrendis frugibus præparari in oppido Campo-Majore, quod nono ab Helviâ situm milliari varios commeatus exceperat; eodemque fine Stremotium, Borbam aliaque in loca, diversi generis subvectiones identidem comportabantur, subsidia militibus, si occasio postularet: etsi enim Imperatori fixum penitus in animo erat, perruptis vi armorum munitis, hostem loco pellere; tamen, quum eventus bellici maximè respiciant nutum supremæ Majestatis, prudentiæ haud parum intererat, habere ad manum subsidiarias opes, si quem alium fortè obsessos liberandi modum imposuisset necessitas.

Dispositis in hunc modum rebus,  
decimo

decimo sexto Kal. Jan. epistolam Imperator Helviam intromisit: monebat Rectorem urbis, ut, quoniam tãti, quã de agebatur, momenti res foret, vocatis properè in conventum militarem præsidij sui primoribus, rogaret unumquemque inducendi auxiliij meliorem viam, missisque illico eorum sententijs, hostium quoque vires & habitum exponeret.

Sextum post diem, rescriptã urbis Præfectus epistolã, postquam Castrorum positionem, præsidiaque & hostium munimenta fusiùs descripserat, unanimi suorum consensu afferebat, inferendi auxiliij modum potiore videri, si promptis intrepidè armis legiones quamprimum ad urbem ad-moverentur: capefferent porrò viam, relicto,

relictō, ad lævam gradientis exerci-  
tus, tumulo Gratiano; eâ namque par-  
te militem, amniculi Sætæ præter dex-  
trum latus fluentis alveolo defendi,  
usquedum Helviæ propior tormentis  
muralibus protegeretur: nullum præ-  
terea securius patere obsessis iter,  
quo venientibus suis occurrerent; e-  
nimvero paucos superesse præsidia-  
rios sibi, quos numerus tenuis haud  
sineret ultra pilæ tormentariæ jactum  
in campum promoveri.

Addebat, in Senatu bellico, de  
Castris Gratiani collis invadendis, va-  
riè inter suos disceptatum; multis o-  
pinantibus haud in rem esse, inutili  
legiones oppugnatione distineri; quis  
enim ab eâ parte metus incesseret? al-  
titudine loci difficulter nimirum pa-  
tiente

tiente offendi prætereuntem exerci-  
 tum: censere tamen plerosque (quo-  
 rum & ille opinionem amplectere-  
 tur) situm hunc occupari oportere, eo  
 robore militum, qui & breviter ex-  
 pugnando satis essent, parique virtute  
 propugnando; hac potissimum viâ in-  
 tercludi hostium inter se communio-  
 nem, nec consuli minùs cōmeatum,  
 qui, si usus posceret, e Campo-Majo-  
 re importarentur, securæ transvectio-  
 ni.

Acceptis Imperator ejusmodi no-  
 titijs, quas unicè seposuit sibi, concii-  
 lium militare festinanter coëgit, non  
 admissis præter Albucherchium &  
 Comitem Mesquitellæ Castrorum  
 Præfectos, reique tormentariæ Præ-  
 positum Mendonsam & Comitem  
 Fcriæ,

Feriæ, alijs exercitus ductoribus, quo  
 majore arcana silentio tegerentur.  
 Tum præfatus de viribus & hostium  
 munimentis affirmavit, tãtum Helviæ  
 libertate momentum includi, ut mini-  
 mè relinqueretur disputandi locus,  
 an obsessis subveniri expediret; solam  
 cogitandi superesse facultatem, quã  
 tandem viã, quo auxilium modo in  
 urbem induceretur. Itaque quod ad  
 rem pertineret, opinionem unum-  
 quemque suam conferre oportere.

Volutatis rationibus, ivère unani-  
 miter omnes in eam, quæ obsessis pro-  
 babatur, sententiam; quæ res incredi-  
 bili Comitum lætitiã perfudit, repu-  
 tantem haud frustra, tanto suorum  
 consensu, quasi omine fortunato, cer-  
 tam sibi victoriam portendi. Quippe  
 simile

simile vero magnoperè videbatur (ut  
 diversa insunt hominibus ingenia) tã  
 uniformem summos inter Duces opi-  
 nionum concordiam nasci haud aliũ-  
 de potuisse, quàm e solo afflatu nu-  
 minis, a quo tota eventorum pendeat  
 foelicitas.

Statuto ferendi obsessis subsidij  
 modo, delegati properè in urbem,  
 qui Præfecto nuntiarent, copijs parte  
 destinata conducendis, mitteret illico  
 itinerum duces, aliaque ordinatim  
 componeret, quæ necessaria videban-  
 tur in occursum venientis auxiliij a  
 præsidarijs suis apparari. Insequen-  
 tes cura singularis dies insumpsit, cõ-  
 ferendæ reliquæ supellectili, quâ mo-  
 turus exercitus indigeret; constitutã  
 ad tert. Id. Jan. diè, prodituro in cam-

D

pum

pum militi: quod & urbis Gubernatorem doceri placuit, tribus sed ab hoste interceptis Tabellarijs.

Conduxerat exploratores Imperator, qui abdita hostium scrutati, de viribus statuque eorum per momenta referebant. Commercij erat administer Franciscus Brito Freirius oppidi tunc Geromeniæ, olim Brasilianæ Classis Præfectus. Sed quanquam ineunte Januario resciverat Comes, auctum novo milite hostilem exercitum, juncto, quem per urbes pagosq̄ conterminos ad quietem Haro distribuerat, equitatu, undenis peditum, tribus equitum millibus constare, nō satis nuntium fuit remittendæ hilaritati, consiliove, quod semel ceperat, vel modicè interturbando.

Novissimè dictus venit movendis  
 copijs dies, in eventus præfagium no-  
 tabilis; totos enim, qui antecesserant,  
 quum tempestas fœda imbribus te-  
 nuisset, hunc Sol aperuit discussis pu-  
 rus nubibus, splendidâque adeo luce  
 illustris, ut gratulatum victoriam Lu-  
 sitanis videretur præreptâ ver tempe-  
 state maturasse.

Auspicio tam fœlici Imperator  
 Stremotio excessit, lustratoque exer-  
 citu, ac recensitis, tam quos secum du-  
 cebat, quàm quos vicinis e locis jungi  
 sibi imperaverat, militibus, omnino  
 peditum octo millia, stipendiarios  
 quidem bis mille & quingentos tan-  
 tum, reliquos ex urbanâ militiâ, equi-  
 tumque duo millia & septingentos  
 numeravit; paucos utique, sed nume-

rum virtus suppleverat, tantaque erat omnium fiducia, ut ire ad victoriam, non ad prælium viderentur.

Agmen sequebantur jumenta farcinaria bis mille, cum cibarijs & igniariâ varij generis munitione: pecudum numerus par, quæ Helviam inducerentur, obsessis alimentâ; centum vehicula comineatu quoque aut nitrato pulvere, & alio militari instrumento onusta; septem æneæ machinæ, oris bis & quater pondus, soli iniquitate tormenta pilæ grandioris nequaquam patiente conduci.

Quanquam non sum nescius, satis legentibus liquere, quinam in regendo exercitu, summâ imperij dignitate præcellerint, repetitis identidem, sed aliâ de causâ, eorum nominibus;

tamen citra vitium tædiosè scribentis  
putavi, posse hoc loco privatam a me  
fieri uniuscujusque mentionem.

Erat itaque supremo impositus re-  
gimini armorum Antonius Ludovicus  
Menefius Comes Cantaniedij; Præ-  
fecti Castris Andreas Albucherchius,  
qui pariter omnem equitatum rege-  
bat, & Rodericus Castrius Mesqui-  
tellæ Comes; Alphonsus Furtadus  
Mendonfa rei tormentariæ præerat.  
Equitibus moderabantur Achimus  
Temericurtius ac Dycnifius Mello  
Castrius Legati provinciales; Emma-  
nuel Freirius Andrada & Ægidius  
Vas Lupus Provinciæ Berianæ, ac Pe-  
trus Lalanda Regni Algarbiorum;  
additis Joanne Sylvio Sosâ, ac  
Joanne Vanicello Cōmissarijs equi-

tatus universi rectoribus.

Pedites in sexdecim legiones divisi acceperant ductores totidem. Ad erant e Tribunis, Petrus Mello, Emmanuel Henricius Almeida, Antonius Galvanus, Ferdinandus Mesquita Pimentellus, Bartholomæus Azevedo Cottinius, Gabriel Castrius Barbosa, Aloysius Sosa Menesius, Ludovicus Mesquita Pimentellus, Alvarus Azevedo Barretus, Antonius Sada Pereria & Gregorius Castrius Morales; Legatus Castrensis Alphonsus Barrosus Trovanus legionem ducebat orbatam Tribuno suo Emmanuele Velio, qui Stremotij fato concesserat; Ductor civilis militiæ Lucas Barrosus Sembranus legioni Mertolanæ præpositus, Tribuni obibat munia;

Instru-

Instructor legionis Balthazar Sada Sotomajor Mauranis præerat legionarijs, quorum regimen Joannes Lupus Albiti Dominus antè obtinuerat: pari modo Emmanuel Nunefius Leyto & Emmanuel Sylvius Dorta Instructores legionum, hic Francisci Pacioci Mascarenix, ille Comitisa a Torre Tribunorum munere fungebantur; Didacus Gomefius Figueredo junior, Ascenfius Alvaresius Barretus, & Emmanuel Lupatus Pintus, vicariam Tribuni Generalis exercebãt potestatem.

Posita eo die Castra, planitiem Alcaravisam ab incolis appellatam, occupavêre; juxta operis antiqui Sacellum, quod olim magnæ Dei Matri, ab Oratâ denominatæ dicatum, Co-

inestabilis Nonius Alvaresius Pereria,  
 tremendum illud Castellanis nomen,  
 ac Lusitaniæ nunquam inter mortu-  
 rum decus exstruxerat. Sanè ad as-  
 pectum loci, renovata principis viri  
 memoria tantos animis omnium spi-  
 ritus infudit, ut haud minor portendi  
 hostibus clades videretur, quàm illa  
 sæculis superioribus fuerat, quâ Dux  
 magnus, proelio memorabili Aljubar-  
 rotano, eorum majores obruerat.

Ibi & peditum signa, & quotquot  
 equites Villæ-Vizosæ, Borbæ ac Ge-  
 romeniæ in hybernis stabant, se cum  
 exercitu conjunxere. Die sequenti,  
 confecto ultra speculatoriam turrem,  
 quam a nemoribus appellant, trium  
 mill. passuū itinere, castra poni impe-  
 ratum, in expectationem militis e-

Mon-

Mōtifortio, Căpo-Majore & Arūcano venturi; quanquam multo adhuc sole clara dies ulteriùs eundi potestatem concederet.

Tertio die, priusquam Lusitanorū copix ad fontem Sutorum pervenis-  
sent, e speculâ, quam eo in situ occupa-  
verat, cum equitum turmâ hostis  
accessit æstimaturus exercitum; quo  
ipse factò confestim recepit se, abdu-  
ctis secum turris speculatorix præsi-  
dians militibus: quumque in eum  
Lusitani ascendissent locum, unde  
procul oculis intuentium Helvia sub-  
jicitur, displosis in adventus lætitiæq̄  
signum tormentis urbem salutavêre;  
reddita & ab obsessis pari tormento-  
rum plausu militaris salutatio, quasi  
jam tum certi secuturæ hunc diem fœ-  
licitatis

licitatis mutuos celebrarent aspectus eâ, quæ in victoriâ usurpatur, solemnitate.

Prætervectus obsidentium Castra exercitus, continenti agmine, in eorû conspectu processit; donec insedit jugum, cui Episcopi cognomentum acolæ indidère; sesquimilliarî ab urbe, quinto a Castris stadio, quæ Ossunanus regebat.

Extemplo Albucherchius ad hostium munitiones accessit, quibus singulatim perlustratis, cuncta adeo valida mutuaque ad defensionem sciēter exstructa comperit, ut temeritati videretur quàm virtuti propior aggressio. Etenim præteritis proximè diebus capti viarum duces, quos Helvix Gubernator Stremotium præmiserat,

serat, egressuro in campum milite, tormentis expressâ confessione indicaverant, cepisse consilium Lusitanos commeatus in urbem eâ parte invendi; quo permotus indicio hostis, continuato die ac nocte incredibili labore aggerem densaverat, additis indefinenter recentibus munimentis, percussâque altiùs obsidionali fossâ, multiplici se receptu, sudibusque præpilatis vallaverat.

Convocatis eâ nocte in senatum militarem supremis copiarum rectoribus, multa proposuit Imperator, quæ necessitatem liberandæ urbis imponerent: universæ provinciæ conditionem, si præsenti Helvia periculo non subduceretur; opinionem, quam totus orbis de Lusitanicis armis conciperet,

ciperet, gentibus in expectationem rei suspēsis; denique proprium uniuscujusque decus & privatam existimationem: quibus adducti argumentis censuēre unanimiter omnes, oportere quoquomodo obsessis subveniri; nec fuit tot inter duces, qui habito ad hostium vires aut firmitatem munitio- num respectu, a communi sententiā abscederet.

Grave interim, magnique nuntium momenti intervenit, acceptis a Præfecto Geromeniæ literis, quibus Imperator monebatur; nocte, quæ proxima præterierat, tria peditum millia & quingentos equites obsessoribus in subsidium venisse; quo recenti milite auctus illorum exercitus, tanto Lusitanorum copijs evasit superior, ut

millia

millia peditū quatuordecim, ter mil-  
 le & quingenti equites censerentur.  
 Sed quamvis & difficiles ad munimē-  
 ta aditus, & numerum defensorum  
 perpenderet Imperator; ne tamen  
 captum semel in conventu militari, de  
 invadendo hoste, consilium tantæ no-  
 titiâ rei læguesceret, animoso nūtiū  
 silentio suppressit. Et verò stare cogi-  
 tabat solâ irrumpendi audaciâ liber-  
 tatem obsessæ urbis, cui periculum in-  
 cumberet adeo præsens, ut injiceretur  
 asperioribus utendi remedijs necessi-  
 tas, etsi manifestæ vitio temeritatis  
 peccantibus.

Percrebuit fama advocatum fuis-  
 se a ducibus Castellanis, ipso die qui  
 hanc noctem præcesserāt, militare cō-  
 cilium, & in eam omnes sententiam  
 conve-

convenisse , ut, productâ in campum  
 acie aut saltem munimentis obsidio-  
 nalibus subnixâ, Lusitanos venientes  
 exciperent, solumque adversatum cõ-  
 muni consilio summum exercitus  
 moderatorem, eâ potissimè fretū opi-  
 nione , quod obsessâ Sangermanius  
 Oliventiâ, quum impares & numero  
 & robore militum copias tunc rege-  
 ret, intactus intra vallum restitisset,  
 hostibus deterritis & re infectâ absce-  
 dentibus: quanto nunc tutiorem se &  
 potentis exercitus viribus, & magni-  
 tudine nominis sui; Lusitanis fanè nõ  
 eo delectu bellatorum pollentibus,  
 non flore juventutis , quam olim ad  
 Oliventiam liberandam Sangermanij  
 castris admovissent. Ita homini adro-  
 ganter blandienti sibi, concepta ut  
 plu-

plurimum imponit opinio, eorūque  
judicia persæpe corrumpit, quorum  
fortunam mutaturus est Deus.

Totam noctem sub dio transegere  
Lusitani, simulatâ identidem irrup-  
tione suspensum hostem distractumq̄  
fatigando; non erectis arcendæ hye-  
mis injuriæ castrensibus tugurijs, præ-  
ter tentorium, quod accitos in con-  
ventum bellicum principes exercitus  
viros exciperet.

Tandem postridie Id. Januar. ve-  
nit dies, solemni per omne ævum me-  
moriâ Lusitanis celebrandus, quan-  
quam illum densiori nebula caligine  
obduxerat, quasi interposito cœlum  
velo testaretur, se mox secuturæ cædis  
spectaculum averfari; quumque foret  
dies, quem a Marte nominamus, ater  
qui-

quidem & omine religioso infaustus  
 Menesæ Genti, cujus princeps erat  
 Imperator & caput, superstitionem  
 ille gentilitiam non modò sprevit a-  
 nimosè, sed converso in melius fatali  
 aúgurio, hanc totius anni fortunatissi-  
 mam sibi patriæque suæ lucem reddi-  
 dit; auspiciatus diei fœlicitatem, a sa-  
 cro sancto ad aram sacrificio, cui re-  
 verenter interfuerunt milites, ac de  
 genu hominem Deum supplices ado-  
 ravère.

Solicitus tumultu armorum conti-  
 nenti hostis, nocte totâ instructam  
 aciem tenuit, donec sub diluculū, Le-  
 gatus equitum Paciecus, cum turmis  
 quatuor, munimentis excessit, Castra  
 Lusitanica exploraturus; sed ille ani-  
 madversâ quiete Lusitanorum, quos  
 nebulæ

nebulæ præpedimentum involutos  
attinebat, interpretatus ipsos eo die  
nihil, quod sollicitudinem intenderet,  
molituros, tantâ conceptam opinio-  
nem fiduciâ ductoribus suis probavit,  
ut recipere se in Castra præfidiarius  
valli pedes juberetur; remanentibus  
tamen in tutelam Castellorum haud  
paucis militibus.

Sexta erat ferme temporis matuti-  
ni hora; quum relicto, quod infederat,  
jugo, Lusitanorum exercitus progre-  
di lento passu, militesque in ordinem  
pugnæ disponi ante munimenta hos-  
tium occœpère.

Agmen primum ter mille & quin-  
genti pedites componebant, in legio-  
nes quinque distributi, quos regebat  
Mesquitellæ Comes. Tribuni Petrus

E

Mello

Mello & Henricius dextrum latus, lævum Galvanus Cottiniusque occupaverant, Ferdinando Mesquitâ campi medium obtinente. Extracti ex unaquaque legione pedites ducenti, qui hostile vallum aggredierentur, instructi omnes militariter incedebant; pars ferreis armati fistulis, scutisque & gladijs accincti aut hastis incendiarijs; sclopis alij majoribus ac fascibus virgultorum cæterisque ad fossam complanandam ferramentis: hos agminis delecti milites ante legiones suas longiusculè progressos ductabant Antonius Tavaresius Costa, Joannes Maciadus Facundesius, Ferdinãdus Martinus Seixas, Alvarus Saravia & Antonius Vasconcellus Mendonça, suæ quisque legionis Instructores; rectore Gomezio

Gomesio castrensi Legato. Tergum protegebant equites mille in sexdecim turmas secti, duce Albucherchio; alas equitum Legati provinciales, dextram Dyonisius Mello; sinistram Temicurtius tutabantur; quibus Joannes Sylvius Sofa ac Vanicellus in equestri militia regimen accesserant.

Constabat acies media senis agminibus, peditum duo millia & quadringentos complexa. Legio Comitum a Turre, quam Instructor Leyto regebat, mox Tribunus Aloysius Sofa juxtaque Trovanus dextro cornu ferebantur; lævo Instructores legionarij Sotomajor ac Dorta, suæ uterq; ductor legionis, quos inter medius Antonius Sada Tribunus incedebat: nongentis a tergo equitibus in signa

sexdecim divisis dextrorsum Ægidius, Andrada sinistrorsum præerant, Beriani equitatus Legati.

Numerabantur extremo in agmine bis mille & centum pedites, in quinque legiones compositi. E Tribunis Morales & Alvarus Azevedo dextrum latus, sinistrum Barbosa & Ludovicus Mesquita, mediam Sembranus viam tenebat: claudebant aciem equites octingenti, quos Legatus Algarbiensis Landa in octo turmas dispersit moderabatur.

Exercitum sequebantur equi sarcinarij, plaustraque impedimentorum militarium: & quanquam obstitit soli difficultas, quominus æneæ campes tres machinæ conveherentur, editiore tamen sitæ loco, posteaquam con-

feruere

feruère utrimque manus, Lusitano-  
rum rebus momentum ingens, hosti-  
bus damnum haud modicum attulere.  
At tormentis in ordinem semel conf-  
titutis præpositus Mendonça, prope-  
rè equum admisit, ut Mesquitellano  
industriam operamque deducendo  
agmini primo commodaret.

Verfabatur in acie mediâ Impera-  
tor, quamvis inito semel cōfliktu nul-  
lam sedem certam servaverit, laturus  
opem, quocumque res illum & prælij  
casus vocarent. Eunti in pugnam ad-  
erant commilitones, Joannes Forjas  
Pereria Pimentellus Comes Ferianus;  
Garfias Mello supremus toto regno  
venationis; Christophorus Mello fi-  
lius natu grandior Magistri admissio-  
num; Gondifalvus Piresius Carvalio;

Tribunus Emmanuel Freirius Andrada oppidi Penichij Gubernator, Michäel Alvaresius Galvanus Arcis Antonianæ; Matthias Correa Farianus Primipilaris; Legatusque castrensis Emmanuel Lupatus Pintus. Cingebāt Imperatoris latus equites Prætoriani cum utroque Præfecto, Petro Cæsare Meneño & Andreâ Gatino.

Dum ea gerebantur, Præfectus urbis, quod exercitum intelligeret primâ luce hostium Castra oppugnaturum, Tribunos Gomesium, Corream & Sancti Joannis Comitem, in tectâ ad fossæ labrum viâ, noctu collocaverat, cum quadringentis & quinquaginta sclopetarijs, quos, qui arma induerent, solos morborum sævitia reliquerat. Similiter urbe excessit sum-

mo mane Commissarius Joannes a Sylvâ cum equitibus centum & septuaginta, quibus Comitem a Turre, legione vacuum ac viribus per invaletudinem diminutum, juxtaque Ferdinandum Silveriam, ambitiosus pugnandi amor immiscuit.

Mandatum erat imprimis Commissario equitum moderatori, ut, ad primum initi certaminis tumultum, cum turmalibus suis inveheretur; si quâ distractus impressione hostis copias diduceret, futuro inde Lusitanis irrumpentibus faciliore ad vallum ascensu: cautum quoque, ne trajecto Sætæ præterlabentis vado Tribuni longiùs cohortes suas promoverent, sed eventus, si quos fors armorum obtulisset, in præscriptâ sibi sede operi-

Perirentur. Interim, quâ parte destinatam a suis aggressione sciebat præpositus rei tormentariæ Magellanes, vicena in muris disponi tormenta variæ magnitudinis, obvertique in obfessores præceperat.

Dispositus ita Lusitanorum exercitus, hostium munimentis appropinquavit: & quia modicum inter Castra, quæ infederat modò, aggerẽque obsidionalem intercedebat spatium, intellecto Duces Castellani venientium consilio, raptim milites convocarunt, quibus sua cõtubernia repetendi potestatem fecerat data Pacienco speculatori fides. Tam properus militum accursus causæ fuit, ut minùs ordinatè componerentur: peditatus in frontem porrectus, raris ponè defensoribus,

bus, vallo tamen protegebatur, octingentis a tergo fultus equitibus, quos unum in agmen congregatos Dux Ossunæ regebat; eâ mente, ut, si fortè Lusitani aggerem perumperent, in turmas delapsi, priusquam sese militariter instruxissent, equestri procellâ obruerentur. Pari quoque præerat equitum numero Cōmissarius Quintanales, ne intutus a tergo præliaretur Ossunanus, si quam obsessæ urbis præsidiarij eruptionem pertentarent.

Jam pertæsi moras ægre se intra ordines continebant Lusitani, cunctis invadendi signum avidè expectantibus. Tum conversus ad milites Imperator vultu alacri & præ se ferente victoriæ fiduciam, his compellatos verbis admonuit: *Meminissent semel sui, patriæque*

patriæque fidem præstarent, ac positam in  
 fortitudine exitus fœlicitatem amplecteren-  
 tur; hos nimirum esse hostes, quos majores sui  
 toties ad satietatem contudissent? gratiosi a-  
 pud Regem cæteræque nobilitatis Castellana  
 præsentia, victoria gloriam, non periculum in-  
 tendi; hostium fortunam cadentis Lusitanie  
 ruinâ, solitudine pacem stabiliri; illos de servi-  
 tute inferendâ sollicitos, Lusitanos de tuendâ  
 libertate, quanto potentiore argumento, quod  
 ad tuclam sui spectaret? illa Castra, illos ag-  
 geres non impedimenta victoriæ, ad gloriam  
 gradus, ad existimationem consequendam ins-  
 trumenta esse? conjectarent porrò obsidentium  
 virtutem, animumque numero transfugarum  
 metirentur; illos præcipui toto exercitus robo-  
 ris fuisse milites, Et ob id ansos, hos, qui vallū  
 tuerentur, metus non virtute restitisse. obsessâ  
 in urbe uxores, liberos, fratres, consanguineos  
 opem

opem suam implorare, quorum libertatem auxilium præsens redimeret; Orbem denique terrarum respicerent erectū in eventum facti, quo tota concussum iriac nutatura regni moles videretur, aut statura validiùs: postremò aut vincendum semel, aut strenuè pugnando cadendum esse. Proinde capefferent naviter prælium, versisque in superba gentis perniciens armis, majorum gloriam ac posteros cogitarent.

Hac incensi milites oratione ferociter in hostem vadunt; & cōmodum hoc tempore (hora circiter nona erat) disjectâ Sol adultus nebulæ caligine aperuerat diem, quâ duæ nobilissimæ bello gentes æmulationis antiquæ controversiam ferro deciderent.

Jamque ab exercitu & a muris urbis tormenta, magnam obsessibus cla-

cladem intulerant: quum pedites Lusitani, post exceptam, scloporum dis-  
plosione ter ab hostibus iteratâ, pila-  
rum grandinem, abjectis, quæ viam  
sternerent ad transcensum, ramalibus,  
vallo successère incredibili audaciâ,  
cæsisque, quotquot objecerant arma,  
defensoribus, pari omnes impetu per-  
rupère.

Non tulit equitum virtus largum  
sibi a pedite ad transitum iter aperiri:  
disjectis enim haud cunctanter obici-  
bus, quoscumque hostis opposuerat,  
aggerem transcendere Legati equitû  
Dyonisius Mello, Temericurtius,  
Andrada & Ægidius, pari, suo quisq̃  
loco, irruptione; magnamque edide-  
runt stragem, obtritis, quacumq̃ equos  
convertissent, propugnatoribus: fuitq̃  
tam

tam valida inter omnes æmulatio virtutis, ut dijudicari possit difficulter, peditesne in conflictu, an equites, primas & momentum victoriæ sibi jure vendicaturi sint.

Perruptis munitionibus ; quum hostilis equitatus in Galvani Cottinijque legiones, cruēto jam utroque, incumberet, si quâ impressione proturbaret militem, priusquam in ordines cōponeretur ; supervenit opportunè Joannes a Sylvâ, quem obsessâ urbe erupisse memoravimus, commissoque acri certamine, irruentis equitatus procellam distinuit : faucius tamen hac in pugnâ Comes a Turre, suffossoque equo circumvêtus in hostium manus devenerat, ni sua eum virtus, oblatique a milite equi opportunitas

nitas captivitati exemisset.

Hoc quoque in conflictu, fortitudinis egregiæ specimen dedit Ferdinandus Silveria, e vetustâ pariter ac nobilissimâ Sarzedarum familiâ. Is prima militiæ rudimenta posuerat in Italiâ, Belgio atque Brasiliâ, ubi & ordines postea duxerat cum splendore & famâ virtutis. Atqui in solo natali obtinuerat solam Legati regiæ Classis dignitatem; quippe morbus inclementior, quo identidem conflictabatur, tantæ in bellicis rebus scientiæ viro Lusitaniam fraudaverat: non tamen invaletudo obstitit, quo minus martia illum indoles ad bellum percelleret. Ergo idem, qui Ulyssipone virum militarem ad Pacêse obsidium extraxerat, obsessâ ex urbe impetus

in campum tulit ; quo in loco, confertis cum hoste manibus facilè ostendit, haud utique semper præpedimenta valetudinis strenuo militi officere: nam ille, quum trahere diutius tēpus fortuna belli videretur, admissio in hostes confertissimos equo acerrimè dimicans occubuit. Nimirum, quam fors illi, dum viveret, probandæ Regi suo & virtutis & industriæ gloriam eripuerat, fato memorabili liberaliter restituit.

Haud minùs fortiter Magistri equitum Vicarius Mello, postquam alares suos aggere proruto transduxisset, in equites Ossunani invecus operam navavit; peditesque expugnandis hostium Castellis summâ vi institère, quamvis pugnaciter defenderentur

derentur. Tribuni quoque legionum  
 Correa & Sancti-Joannis Comes m̄a-  
 data sibi a Præfecto urbis interpreta-  
 ti, transmissere fluvioli Sætæ alveum;  
 copijsque primò, quæ obsidionale  
 vallum per ruperant, mox se militibus  
 adjunxere, oppugnationem Castrorū  
 Gratiani collis urgentibus. Ita feroci-  
 ter undique, irritatis concurrentium  
 animis, certabatur.

Volitabat interim huc atque illuc  
 Imperator, singulos magnificè com-  
 pellendo, animosus fanè adeo lauda-  
 tor operum, quæ maxima a cujusque  
 ordinis militibus patrari videbat, ut  
 splendida per sæpe æmulatione im-  
 mixtus confligentibus haud satis ad-  
 verterit, quanti in bellicis cōgressibus  
 res sit momenti, salus Imperatoris.

Sed

Sed Castris Mesquitellæ Comes  
ducendo in certamen pediti sollicitè  
intentus, Magisterque tormentorum  
Mendonſa, etſi toto campo urgebant  
hoſtem validiùs, ſenſère, nullo adhuc  
e munimentis obſidionalibus expug-  
nato, remoram ſecuritati victoriæ in-  
terponi. Mandatum itaque Alvaro  
Azevedoni, iret ad tutum ſuâ cum le-  
gione, & Caſtellum inter cætera per-  
vicaciter ab hoſtibus deſenſatum op-  
pugnaret. Tribunus imperata ſtre-  
nuè exequitur, foſſâque Caſtelli, ſu-  
dibus, quas milites revulſerant, haud  
ſegniter oppletâ, ſcalas jubet erigi, &  
omnium ipſe primus, conſenſo vallo,  
trucidatiſque, quotquot irrumptenti  
occurrerant, propugnatoribus, muni-  
mento potitur; tantaque aggredien-  
F tium

tium virtus extitit, ut Mesquitellano cupidinem injecerit jungendæ societatis; nam prompto ille ferro promiscuè ingressus ostendit, acceptâ quamvis Præfecturæ castrensis dignitate, non se tamen eorum exuisse memoriam, quæ privati militis officium postularet.

Perstabat haud minùs constanter hostis; nam præter lineam obsidionalem, alium insuper aggerem, in modum cõtravallationis, ex uno ad aliud Castellum pertinentem erexerat. Ita geminatis sese munimentis, interjectoque rivulo Cincio fortissimè tuebatur. Quumque Albucherchius animadverteret motam eo loco auxiliariorum legionem gradum retulisse, milites & voce & manu cohortatus, præsen-

præfentiâ fuâ certamen reftituit. Sed fortuna caro vendidit Lufitanis, victoriæ, quæ fecuta eft, largitionem; an (quod vero propiùs reor) tempeftas advenerat, quâ tanti viri eximias virtutes potioris vitæ felicitas compenfaret? emiffa namque fclopo grandiore pila, obequitanti latus dextrum, inter loricæ commiffuras, trajecit. Stetit ille fpatio brevi ad mortalem plagam immoto fimilis, quafi dubitaret partâ nondum victoriâ proelium deferere.

Vir fuit & animi & corporis dotibus eximijs, habitu decorus afpectuq; liberali, fuavis colloquio, facilitate comi indulgenter affabilis; ingenio bonus, fed quod vafritiem exuerat; pietas, quæ in eo multa, oderat fucû, jactantiam fortitudo; legum militariû

observantissimus, æquitatem in bonos  
 malosq̄, prout quisque meruisset, re-  
 ligiosè semper coluit: amorem om-  
 nium ac reverentiam conciliaverat si-  
 bi, nec tamen blanditias accersendæ  
 militum benivolentiæ, nec, ut metum  
 firmaret, pœnas unquam quæsit: dis-  
 ponere suaviter cuncta, operi quietè  
 intendere, exequi foeliciter solebat;  
 innata quoque haud accita aliunde  
 virtus adeo illum, quamvis in ultima  
 conjectum pericula, fecerat compo-  
 tem sui, ut (quod erat argumentum  
 firmitudinis) sæpius exuisse sensum  
 crederetur. Obsequium erga Regem  
 patriamque in delicijs habuit; annis  
 enim undeviginti continentibus bis  
 tantùm invisit Aulam Principis sui.  
 Miles, Centuriæ peditum & legionis  
 ductor,

ductor, tormentorum mox equitum  
Magister, ac Præfectus Castrorum  
fuit; parère & imperare didicerat, pari  
utrobique observantiâ & moderatio-  
ne. Vir sanè adeo magnus, ut, futura  
quum sit decima quarta Januarij dies  
omni ætate Lusitanis percelebris,  
eandem pariter & lugubrem factura  
jure videatur tantæ jacturæ memo-  
ria.

Tribuno quoque legionis Aloysio  
Sofæ, pila sclopo Cantabrico explosa  
latus sinistrum trāsfixit, quem paucis  
diebus interpositis contigit e vul-  
nere extingui; ita militares applau-  
sus & præmia, quæ illius virtus in  
bello singularis non modica prome-  
ruerat, mors accelerata eripuit.

Pugnâ statim ineunte, Præfecti

Prætorianorum Cæsar & Gatinus,  
 petitâ ab Imperatore facultate præ-  
 liantibus suis opem ferendi, properen-  
 turmas obsidionali Castello admove-  
 runt, quod aggressione validâ urge-  
 bat Tribunus Mello; hostique in op-  
 pugnatæmunitionis auxilium inve-  
 nienti, expeditis sese armis objecere  
 & quâmviseo in conflictu Gatinus  
 ceciderit fortiter dimicando, turmas  
 les suos adhortatus Cæsar ultimum vit  
 commilitonis sanguinem, tantâ vir-  
 tute & ardore, ut hostium octoginta  
 interfecit, reliqui in fugam versi  
 difficulter evaserint insequentis ma-  
 nus. Jam paulatim remittente Castel-  
 lani pertinaciâ, languidiùs obsiste-  
 bant, pro palam in Lusitanorum par-  
 tes

tes inclinante victoriâ : nam copiæ equestres , quas Legatus Mello ac Joannes a Sylvâ distraxerant multiplici velitatione, receptui maturius cecinerant ; primus quoque omnium Haro , tertiâ circiter post meridiem horâ, nuntium acceptæ cladis Pacem-augustam intulit, paucis fugæ assumptis comitibus. Agmen pedestre, quia minus promptum erat sibi effugio consulere , suis se munitionibus protegebat , quarum etsi multas oppugnantium virtus in potestatem redegerat, nonnullas obstinato hostis certamine tutabatur.

Haud distulit porrò Imperator , quamvis atrox in Castellorum expugnatione conflictus perseveraret, obsessis ferre suppetias : prærepto

F 4

itaque,

itaque inter continuam pilarum hostilium tempestatem itinere, jussisque propter sepimentis obsidionalis fossam subsistere militibus, auxilium induxit. Enimvero ad aspectum intrantis subsidij respiravêre afflicti cives, dissonisque & in lætitiâ vocibus compositis exceperunt primitias suæ libertatis; confestimque Imperator princeps urbis templum ingressus, egit Deo opt. max. pro successu gratias, quem fortunatum adeo ac Lusitanicis armis insignitè gloriosum impertiri eo die tam liberaliter voluisset.

Quo tempore obsessis subsidia ferrebantur; Præfectus Helviæ, assumptis Ludovico Almeidâ ac Tribuno Petro Opecingâ, cum viginti equitibus,

bus, ad Sætæ fluvioli ripam Imperatori occurrit: manente in regimen urbis Magistro tormentorum Magellane. Ibi datâ ultro citroque in victoriæ gratulationem salutatione, in eam se Præfectus cum suis partem contulit, quâ confertis cum hoste manibus Petrus Mello ferociter dimicabat.

Etenim ad dextrum urbis latus, quâ parte agger obsidionalis in angulum procurrebat, Castellum validâ munitione circumseptum hostes etiânum tuebantur, in quod, ut omnium toto vallo amplissimum, major se pars eorum conjecerat: ibi erectis ad ascensum scalis aliâque aggressione multiplici Petrus Mello defatigaverat propugnatores, diemque solidum tenuerat, multis utrimque cadentibus, obstinata

obstinata dimicatio: eâdem quoque  
 pervicaciâ impositum colli Gratiano  
 munimentum restiterat, quamvis Tri-  
 buni Correa & Sancti-Joannis Co-  
 mes iteratâ sæpius impressione adi-  
 tum pertentassent; nec semel defenso-  
 res, omni telorum missilium genere,  
 sacculis præsertim pulvere tormenta-  
 rio fartis, & in subeuntes, injecto con-  
 tinenter igne, devolutis, sustinuerant  
 impetum aggredientium, illosque  
 faucijs ambobus Tribunis animosè  
 repulerant.

Sed accensam quaquaversum pug-  
 nam nox superveniens disparavit: &  
 quanquam transitus libertas, qua Lu-  
 sitaniam agger hostilis spectabat, ne-  
 cessitatem hisce potiundi munimentis  
 injiceret; tamen quum arduum nec

fatis

fatis in potestate situm videretur, ea inter densæ noctis caliginem posse armis ad deditiōem cogi; dilatâ in auroram oppugnatione, castra posuerunt victores, tergoque Helviæ mœnibus protecto, fronte munitioni Gratiænæ, Castrisque Bargadanis obversâ, Imperator divi Lazari Sacellum extra urbis muros constitutum in Prætorij sedem delegit.

Noctem integram in procinctu Lusitanorum traduxit exercitus, venturam diem avidè præstolantium: quâ primùm albescēte, Imperator aggressurus hostem, quo se cumque munimēto protegeret, regijs militem suum Castris admovit; sed illa, ut vacua defensoribus, ita omni seu bellicæ, seu cibariæ munitionis referta genere compe-

comperit. Nam metu perculsi hostes, quæsitâ inter noctis tenebras salute, Castra deseruerant, fugâ adeo præcipiti, ut asportandi vel scrinij sanctioris memoriam consternatis ademerit festinatio, literisque Regis Castellani interceptis haud paucis, notæ reconditoris arcana patuerint.

Cognito igitur hostium discessu, Sancius Emmanuel, cum aliquot equitum levis armaturæ signis, vertentium terga vestigijs institit; extremoque, in trajectu amniculi Cayæ, agmine deprehenso, quia captivorum numerus fastidio erat victoribus, ademptis armis, & retracto, quod avehebant, tormento obsidionali, concessâ omnes libertate dimisit; quorum tamen

exuviæ, & imprimis Oſſunani ſupellex haud ſpernēda, ceſſere in prædam militibus.

Legionum quoque Tribuni Joannes Zuniga ac Nicolaus Fernandefius a Cordubâ, qui pridie impoſiti collis Gratiani ac Roſarij Caſtellis defenſores, oppugnantium impetus haud inſtrenuè ſuſtinuerant, ſpe certâ inducti, ſe noctis proximæ beneficio reſcituſos ab Ducibus ſuis modum, quo tutari munimenta diutius, aut milites præſidiarios poſſent e manibus Luſitanorum receptu ſubtrahere; quum fruſtra conceptam opinionem imminensque periculum intelligerēt, poſitâ demum pertinaciâ, cum ſexcentis ſe pedibus tradiderunt victorum arbitrio.

Tantus

Tantus porrò e Lusitanicis armis terror victos invasit, ut illico Pacem-augustam ingressi ac de salute dubitantes, sparsis tumultuariò facibus, munitiones incenderint, quas se e Pacensi obsidione recipiendo exercitus hãud in totum depositas reliquerat. Nimirum verebantur, ne fugientium tergis inhærentes Lusitani insiderent iterum Castra, civesque tantâ suorum strage perterritos inopesque consilij ad deditionem compellerent.

Enimvero qui hanc cladem cum cæteris, quas unquam in bello acceptas Castella pertulerit, æstimatis non indiligenter universis comparaverit, omnium maximam haud temere possit interpretari. Quippe millibus pe-

ditum

ditum quatuordecim, ter mille & <sup>95</sup> quingentis equitibus constante exercitu, posteaquam se Pacem-augustam hostes recepêre, facta curatior recensio, imminutum ad quinquies mille & quaternos pedites, mille equites ac quingentos, numerum aperuit; reliquos vel absumpsit ferrum, fugave aut captivitas distraxit. Cæterùm, si captorum verbis fides habenda est, plerique omnes constanter adseverant, ingressos fuisse obsidentium Castra, diversis temporibus ac supplementis, milites, quorum numerus octo & viginti peditum millia, octona equitum facile complecteretur. Tanta scilicet hostium pernicies fuit, ut, e tot millibus armatorum, paucæ, quas memoravi, difficulter sese reliquæ servaverint.

Cain-

Campum operuerunt strata ubi-  
 que corpora peremptorum, quos in-  
 ter fuere nonnulli e Ducibus exerci-  
 tus primarijs ; e Tribunis Instructo-  
 ribusque legionum, castrensibus Le-  
 gatis, turmarumque & centuriarum  
 ductoribus complures, quorum uti-  
 que omnium numerum (si honorarios  
 e nobilitate bellatores, redactosque  
 in ordinem Tribunos, Centuriones &  
 alios non vulgari defunctos militiâ si-  
 mul computamus) ad terna millia per-  
 venisse constat. Par aut major capti-  
 vorum multitudo plurimos eorundem  
 ordinum & eximie toto regno clari-  
 tatis viros comprehendit; præter sex-  
 centos morbis aut vulneribus invali-  
 dos, quos omnes Imperator domum  
 liberaliter remisit.

Capta

Capta a Lusitanis cum omni inf-  
 trumento tormenta decem & septemq  
 diversæ magnitudinis, capta quinque  
 pyloclastra, mortaria ad ollas incen-  
 diarias tria, ingens vexillorum nu-  
 merus, arma, quæ ornandis militariter  
 quinis denis hominum millibus abun-  
 de forent, cibariæ omnes ac bellicæ  
 varij generis munitiones, quas & alē-  
 dis militibus, & turbi expugnandæ  
 Castellani in hoc velut arinamenta-  
 rium congefferant: Castra denique  
 integra, cum multiplici pretiosâque  
 supellectile, quam militibus in prædâ  
 Imperator concessit. *obeyes A*  
 Desideraverunt in suis Lusitanis  
 Præfectum castris & universi equita-  
 tus Magistrum Andream Albucher-  
 chium, regis Classis Legatum Ferdin-  
 G nandum

151

nandum Silveriam, Tribunum legio-  
 nis Aloysium Sofam Menesium, qui,  
 vulnere inter pugnandum accepto,  
 paucis post diebus e vitâ migravit;  
 binos equitum Præfectos, Centurijs  
 præpositos decem, duo Adjuutores  
 tesserarios, decem Vexillarios, qua-  
 tuor hastatos Instructores, ac centum  
 & septuaginta milites manipulares.  
 Vulnerati e conflictu excessere legio-  
 num Tribuni Ludovicus Alvaresius  
 Tavora, ac Joannes Mascarenias, hic  
 a Turre, ille Sancti-Joannis Comes;  
 Simõ Correa Sylvius, Bartholomæus  
 Azevedo Cottinius, Antonius Galva-  
 nus; quatuor Instructores legionum,  
 unus ex Adjutoribus castrensis Le-  
 gati, Centuriarum ductores tres ac vi-  
 ginti, octo Adjuutores tesserarij, Signi-  
 feri

feri duo ac viginti, triginta centuriarum Instructores, cum quingentis & nonaginta gregarijs militibus.

Decimo septimo Kalēd. Februar. tantæ nuntium victoriæ Ulyssiponem venit: quo tempore Rex Alphonsus intererat festo, quod cibi cœlestis augustiori Sacramento dicatum, quotannis in divæ Engratiæ, quæsitissimâ pompâ celebratur: eratque hæc prima imperij dies, quâ se Princeps Serenissimus populo visendum, publicè per urbem invexerat: quibus utique portendi fœlicitatem glorioso regnantis justoque regimini haud alienum fuerit opinari. Quumque regius Concionator Prosper e Martyribus, faustum fortè inter concionandum nuntia e Transtagano exercitu polliceretur,

supervenit festinatus ab Helvia Cur-  
 sor, literasque a scrinii sanctioris Mi-  
 nistro perlectas coram Rege, ingens  
 omnium lætitia excepit; ac post di-  
 ctum, ad musicos modos, solenne Dei  
 laudum carmen, repetitæ concioni,  
 quum illa exordium a precationibus  
 sumpisset, finem imposuerunt grates,  
 quas regia Majestas, & aulica nobili-  
 tas omnis, unaque populus lætis  
 certatim vocibus egere, magno  
 exercituum & victoria-  
 rum Domino.

**FINIS.**



